



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Quantitas Ducatus Mediolanensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

EX	}	COMES NOVELLARIÆ. Nouellaria: <i>Novellara.</i>
FAMI-		PRINCEPS BOSSOLENSIS. Bossulum: <i>Bosso-</i>
LIA		<i>lo.</i>
MAN-		MARCHIO CASTILIONÆVS STIVERÆVS: <i>Castiglio</i>
TVA-		<i>de la Stiuere.</i>
NA.		DOMINVS SOLFARINI. Solfarinum: <i>Solfarino.</i>

§. I. De Ducatu Mediolanensi, & ditionibus ei insertis.

EVOLVERE debemus hoc §. præcipuam Longobardiæ partem, quam Hispanus magnâ sollicitudine tueretur, vocâtque Antemurale regni Neapolitani; quam accipit clientelarem ab Imperatore, ex quo & cæteri Principes, si paucos excipias, pendere dicuntur.

SECT. I. *Historica descriptio.*

NVM. I. *Nomen.*

NOMEN accepit à primaria vrbe, eâque amplissima Mediolano; ac primùm Principatus fuit, seu Dominium; tandem in Ducatum transit an. 1395. per Venceslaum Imperatorem in gratiam Ioan. Galeatij.

NVM. 2. *Qualitas Ducatus Mediolanensis.*

OLIM latissimè patuit hic Ducatus, siquidem Galeatius primus Dux accepit à Venceslao Imperatore an. Christi 1395. Brixia, Bergomum, Comum, Nouariam, Vercellas, Alexandriam, Dertonam, Bobium, Placentiam, Rhegium, Parmam, Cremonam, Laudam, Tridentum, Cremam, &c. Veronam, Vicentiam, Feltrium, Bellunum, & alias plerasque ditiones; Pisas etiam idem Galeatius ab Apianis redemit, aliquot vrbes ademit Mantuano, ac supra reliquos Principes Italiæ caput extulit. Sed sub eius filio Ioanne Mariâ ditiones aliquot distractæ sunt: Pisa Florentinis venditæ, Verona & Vicentia sese Venetis submiserunt, & sensim ad eum statum quem nunc videmus hæc ditio redacta est.

Nunc verò (inquit *Guarinus*) complectitur tantùm ciuitates decem cum earum territoriis Mediolanum, Ticinum seu Papiam,

*Parall. Geogr. Tom. II.*

FFFF

Cremonam, Laudam, Dertonam, Alexandriam, Comum, Nouariam, Bobium, & Vigeuanum.

Itaque *longitudo* eius desumitur à pago Rusca in regionibus Inalpinis, ferè Sabuloneram vsque; quod spatium complectitur circuli maioris duos gradus cum dimidio, ac proinde 150. millia pass. Francicas leucas 75. Germanicas 37 cum dimidia. *Latitudo* à Sauiuione *Sauignone* in limite Genuensi ad montem sancti Gothardi planè longitudini similis est, videlicet 2 graduum cum dimidio maioris circuli. Circuitus denique peritiorum iudicio est 300. mil. passuum.

N V M. 3. *Qualitas huius regionis.*

REGIO tota imprimis rigua est multis fluuiolis interscissa, multis lacubus distincta; in cilibus plurimis in omnem partem deductis diues. Circa Mediolanum tanta oryzae copia prouenit, vt per vniuersam Italiam, ac Galliam distribuatur. Ager Cremonensis vini feracissimus est ac fructuum, Ticinensis lini, Laudensis pascuorum: laudantur huius regionis casei, quorum se vidisse aliquos, ait Leander, 500. librarum.

N V M. 4. *Politia Ducatus Mediolanensis.*

REGIMEN POLITICVM huius regionis ita se habet: præest Gubernator *le Gouverneur de Milan*, qui Vicarius Generalis dicitur, penes quem arbitrium rerum omnium politicarum, & electio omnium Magistratum, quorum potestas biennio expletur. Assidet Gubernatori Consilium secretum constans ex Generali Duce omnium copiarum militarium, Castellano Mediolanensi, Cancellario, Præsidente Senatus, Præsidente Magistratum oppidanorum, Quæstore Generali, cui aliqui adiunguntur ex Regis gratiâ.

REGIMEN CIVILE. Senatus Mediolanensis constat ex Præsidente & XII. Senatoribus, quorum tres solent esse Hispani, cæteri ex præcipuis ciuitatibus eius Status, è quibus solet ex veteri consuetudine legi *Regens*, qui in Hispania Regi assistat. Ab hoc Senatu nulla appellatio. Omnes Ciuitates & Castella reguntur vt plurimum à duodecim Decurionibus, qui sorte eliguntur è capsâ Consiliariorum qui LX. numerantur: hi autem omnes Decuriones Mediolani degunt.